

Cum in proximo conventu Pyothrkouiensi cum consiliariis nostris dissereremus etiam de necessitatibus et periculis regno imminentibus consultaremusque, quibus modis ipsa pericula ab regno propulsare possimus, inter cetera defensionis genera visum erat nobis cum consiliariis, ut litteras primarum restium tunc ad vos mitteremus, ex quibus haec ipsa pericula cognosceretis, ac demum cum armis et omni apparatu bellico ad expeditionem contra quoslibet hostes ita vos paretis, ut dum res exposceret, possitis nobiscum resistere conatibus eorum. Nunc vero, cum eadem pericula sine dubio, que tunc imminere cognoveramus, denuntientur nobis, volumus iterum hiis litteris secundarum restium vos admonere, ut pro debito quisque suo se paret ad bellum. Si qui enim vel temere vel aliqua negligentia aliter fecerint, non ignorent, dum recensiti fueritis sive examinati, quo apparatu militari debeatis in se ita animadverti itaque se puniri quemadmodum praescriptum decreto generali. Mandamus igitur vobis iam ita sitis parati, ut aliis litteris ultimarum restium admoniti proficiscamini ad diem et locum, quem constituemus, has vero litteras unus ad alium, ut moris est, celeriter mittat et ultimus eas capitaneo loci faciat referri. Datum Thoruniae feria secunda Pentecostes, anno Domini millesimo quingentesimo primo [31 V 1501].

^a Mandatum ad capitaneos ratione diligentiae transmittite secundum litteras restium^a.

Item ad loci capitaneos missae sunt litterae, ut fieri solet, ut faciant diligentiam exactam in transmittendis litteris restium earundem per^b eorum capitaneus.

VI

SEJM ELEKCYJNY PIOTRKOWSKI 1501 R.

Do wiążących się z tym sejmem aktów, dotyczących unii piotrkowsko-mielnickiej i artykułów mielnickich, dodać należy dokument elekcji Aleksandra Jagiellończyka, pt.

Electio serenissimi principis domini Alexandri, magni ducis Lithwaniae in regem Poloniae, z 3 października 1501 r.¹

ELECTIO SERENISSIMI PRINCIPIS DOMINI ALEXANDRI, MAGNI DUCIS LITHWANIAE IN REGEM POLONIAE.

Fredericus miseratione divina Sacrosanctae Romanae Ecclesiae tituli Sanctae Luciae in Septemsoliis presbyter cardinalis, archiepiscopus Gneznensis, Regni Poloniae primas, et episcopus Cracouiensis, Andreas Roza, archiepiscopus Leopoliensis et episcopus Premisliensis, Creslaus Wladensis et cancellarius regni, Johannes Posnaniensis, Lucas Warmiensis, Albertus Vylnensis, Vincencius Plocensis et Mathias Chelmensis — ecclesiarum episcopi; Spitek de Jaroslaw castellanus Cracouiensis, Andreas de Schamotuly Posnaniensis, Petrus Kmytha de Vyssnyce Cracouiensis et marschalcus regni, Johannes de Tharnow Sandomiriensis, Nicolaus Gardzyna de Ludbranz Calissiensis, dux Allexander castellanus Vylnensis, Johannes de Zabrzeze Troczensis, Nicolaus de Baysen Marienburgensis, Petrus Myskowsky Lanciciensis, Nicolaus de Coszelec Brestensis, Nicolaus de Crethkow Juniwladislaiensis, Johannes de Tarnow Russiae, Nicolaus de Curozwanki Lublinensis, Stanislaus Kmitha de Wysnyce Belzensis, Ninognevius de Krysko Plocensis, Andreas de Cuthno Rawensis, palatini, Dobrogostius de Ostrorog Posnaniensis, Jarandus de Brudzew Calisiensis, Johannes de Przeramb Siradiensis, Andreas de Zaxyn Lanciciensis, Andreas de Thanczin Voynyciensis, Johannes de Slupcza Sandecensis, Petrus Schaffranycz de Pyeskowaskala Vislicensis et capitaneus Marienburgensis, Stanislaus de Potulycze Myedzyrzecensis, Jeronimus de Cobylyno Rosperiensis, Zawysius de Cvnradzecz Plocensis, Johannes Polak de Karnkow Landensis, Raphael de Jaroslaw Premisliensis, Johannes de Syenno

^{a-a} Inną ręką. ^b Wyrz poprawiany.

¹ Tekst ten zachował się w MK, t. 17, k. 231 v.-233 (mikrofilm AGAD, nr 631). Skopiowany został przez I. Dwornicką i skolonizowany z udziałem R. Zawadzkiego.

Malogostiensis, Paulus de Chotcza Polanecensis, Bal Sanocensis, castellani, Mathias de Drzevycza, praepositus Skarbimiriensis et Scolasticus Cracouiensis, vicecancellarius Regni Poloniae, Andreas de Cosczyelec, marschalcus regalis curiae et Petrus de Schidlowyec, succamerarius Cracouiensis, ceterique praelati, barones, milites et nobiles regni universum Regnum Poloniae et Magnum Ducatum Lythwaniae repraesentantes.

In nomine sanctae [et] individuae Trinitatis. Ad universos, quorum interritque in futurum notitiam deducimus, quod anno praesenti, feria quinta in octava festi Sacratissimi Corporis Christi [17 VI 1501], in civitate Toruniensi terrarum Prussiae, serenissimo olim principe domino Johanne Alberto, Dei gratia rege Poloniae, supremo duce Lythwaniae, Russiae Prussiaeque domino et herede etc. generosissimo per mortem, cui omne vitae subiacet imperium, de medio sublato eiusque olim fovere regio Cracouiae feria secunda post festum sancti Jacobi apostoli [26 VII 1501] in basilica divi Polonorum patroni praesulis Stanislai, in castro Cracouiensi sita, honorificentissime sepulto cerimoniis ad hoc dignissimis funeralibus, prout tantae expediebat maiestati non minus reverenter quametiam devote et lugubriter adhibitis, tandem immediate sepultura peracta, fuit per nos universos, qui Cracouiae iusta foveri solvimus, electioni futurae Maiestatis Regiae dies et locus huc Pyotrkouiam ad praesentem conventionem generalem decretus deputatus et assignatus decreto communi mediante praesentium dominorum praelatorum et baronum regni sepulturae regie interessentium absentiumque accedenti consensu. Fuereque universi principes ac praelati spirituales et saeculares, barones, nobilitates, milites et communitates terrarum et civitatum de iure ac consuetudine ad electionem regiam pertinentium edictis proclamationum publicis ac litteris et nuntiis eam ipsam electionem praefixam intimantibus denuntiantibusque vocati et avisati, ut nobiscum una pro eligendo futuro rege ac domino aut convenirent aut nuntios cum mandatis dirigent ad praesentem electionem conventionemque Pyotrkouiensem pro diebus deputatis in praesentem usque diem per continuationem sequentibus, ubi dum cum universis dominis principibus et praelatis spiritualibus et saecularibus, militibus, nobilibus, communitatibusque terrarum et civitatum competentibus et praesentibus absentiumque nuntiis iniremus consilia, tractatus et deliberationes pro eligendo serenissimo domino nostro rege futuro proque aliis necessitatibus eventibusque publicis in melius ordinandis, tandem nobis Frederico miseratione divina cardinale veluti archiepiscopo Gneznense et regni primate et consilii ordinem et electionis processum proponentibus vocatorum non competentium absentia non obstante, per nos et universos praelatos spirituales et saeculares, barones et consiliarios nostros et absentium nomine ad electionis decretum in Dei nomine processum erat die et loco infrascriptis, qua missa de Spiritu Sancto cantata et audita ac cerimoniis, consiliis, tractatibus, deliberationibus et conclusionibus de more atque iure praemissis nos, qui supra praelati et barones universi, ad quos istud de iure ac consuetudine regni eiusdem pertinet, una cum nuntiis et oratoribus praeclari principis domini Conradi ducis Mazouiae ac magnificorum dominorum Johannis Stephan voyewoda Moldaviae aliorumque principum praelatorum et baronum regni absentium cum litteris et sufficientibus mandatis ad electionem praesentem missis nomine suorum principalium competentibus et electioni interessentibus decretum electionis diximus, pronuntiavimus et promulgavimus. Dicimusque pronuntiamus et promulgamus sic, quia non ex affectione carnali personalique, sed inspirantes Spiritus Almi gratia, votis, voluntatibus, affectionibus desideriisque unanimibus nemineque ex nobis (operante Spiritus cuiusdem gratia) a votis et voluntatibus unanimibus discrepante serenissimum principem dominum Alexandrum, Dei gratia magnum ducem Lythwaniae, Samagittiae, Russiae, Kyoviae dominum et heredem etc. dominum nostrum generosissimum, sic ut ius liberae electionis nobis competit et competere iure consuevit decrevimus eligendum in regem Poloniae, olim serenissimi domini Johannis Alberti nuper vita functi, regis Poloniae immediatum, verum, indubitatum et legitimum successorem dominum nostrum generosissimum decrevimusque et eligimus praesentibus. Et hoc inquantum sua Sinceritas ordinationem inter Regnum Poloniae et Magnum Ducatum Lythwanie per nos Fredericum ac praelatos et barones Regni Poloniae suprascriptos cum dignissimo in Christo Patre ac magnificis et generosis dominis praefatis oratoribus et nuntiis Sinceritatis suae vigore mandatorum Sinceritatis eiusdem ac universorum praelatorum, baronum, procerum, boyarum, nobilium et communitatum Magni Ducatus Lythwaniae initam, factam, approbatam litteris eorum sigillis

ac iuramentis firmatam per se et praefatos praelatos, barones, proceres, boyaros, nobiles et communitates eiusdem Magni Ducatus Lythwaniae suo ac illorum litteris sigillis et iuramentis in omnibus punctis, conditionibus, clausulis et articulis approbabit, confirmabit et ratificabit perpetuo observandam. Quam electionem praesensque decretum nostrum cum universis nobilibus ac terrarum et civitatum communitatibus nostro et eorum atque absentium nomine approbandum tenendum, laudandum, confirmandum et emologandum duximus approbamusque, tenemus, confirmamus, laudamus et emologamus tenore praesentium mediantem. Itaque decretum huiusmodi in virtute Altissimi exequi cupientes de certa scientia quamque consilio ac omnibus modo, iure et stilo certos dominos praelatos et barones Regni Poloniae fratres nostros in litteris credentiarum ad eundem serenissimum dominum nostrum dominum electum per nos datarum nominatos ad infrascripta gestores actores et nuntios deputavimus et deputamus, dantes eis mandatum generale et facultatem plenariam praesens decretum nostrum eidem felicissimo electo ac dominis domino Alexandro Dei gratia magno duci Lythwaniae etc. domino nostro generosissimo intimandum eiusque dominationem excellentissimam, utrum in electionem de se factam consentiret aut eam acceptaret ratamque haberent requirendi, aliaque omnia et singula cum eius dominatione illustrissima universisque praelatis, baronibus, militibus et communitatibus Magni Ducatus Lythwaniae agendi, faciendi, tractandi, consulendi, concludendi et firmandi ac de rato et grato nostro et regni totius nomine promittendi et ea, quae mandatum exigerent magis spirituale quam praesentibus est expressum. In quorum omnium fidem ac testimonium praemissorum sigilla nostra ac aliorum praelatorum, procerum et nobilium Regni Poloniae praesentibus sunt subappensa. Actum et datum Pyotrkouie, in conventionem generali, die dominica in profesto sancti Francisci, anno Domini millesimo quingentesimo primo [3 X 1501]. Praesentibus ibidem ac ad praemissa consentientibus rata habentibus et ea emologantibus suo et aliorum praesentium et absentium regnicolarum nominibus venerabilibus, generosis et nobilibus dominiis Nicolao Cryczky decano Cracoviensi et praeposito Posnaniensi, Johanne Conarsky Cracoviensi et sancti Michaelis praeposito, Johanne de Lassko cancellario Gneznensi, decano Wladislaviensi, praeposito Crusswiciensi, Alberto Gorsky Scolastico Wladislaviensi et cancellario Posnaniensi, Nicolao de Barthnyky custode Plocensi et praeposito Calissiensi ecclesiarum, Stanislaw Lasoczky de Brzeziny succamerario Posnaniensi, Nicolao Czykowsky gladifero Cracoviensi, Martino de Skothnyky iudice Sandomieriensi, Jaroslao de Lassko tribuno Siradiensi, Stanislaw de Curozwanky Vyelunensi, Johanne Zaramba de Kalynowa Siradiensi, Johanne et Stanislaw de Sprowa Oppocznensi, capitaneis, aliisque quampluribus praelatis, militibus, nobilibus terrigenis et indigenis Regni Poloniae.

Ego a. promitto et iuro, quod serenissimus dominus noster dominus Alexander, magnus dux Lythwaniae, omnia pacta et articulos per nos conclusa et conclusos inscriptaque et inscriptos firmiter observabit et iureiurando confirmabit et incolas illius domini ad observandum et iurandum similia adducet suasque super id ducales litteras perpetuas sub sigillo ducali Regno dabit. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Crux.

Pari modo promitto et iuro quia omnes articulos in praesenti unione inscriptos et per me ipsum meo et universorum praelatorum, baronum et nobilium ducatus Lythwaniae nomine conclusos observabo illosque et mei ac illorum successores observabunt perpetuo sigillisque inscriptionibus et iuramentis firmabunt et desuper dabo et dabunt Regno Poloniae litteras perpetuas meo et illorum sigillis roboratas. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Crux.

VII

SEJM KORONACYJNY KRAKOWSKI 1502 R.

Po tym sejmie, zakończonym w lutym 1502 r., wydane zostały w ciągu marca wici związane z groźbą wojny z Tatarami i Turcją:

Litterae restium per universum regnum, z 14 marca 1502 r.¹

¹ Tekst ten zachował się w MK, t. 19, k. 66 v. Skopiowany został przez I. Dwornicką i skolacjonowany z udziałem R. Zawadzkiego z mikrofilmem AGAD, nr 632.